

104

102

108

098

113

093

153

053

203

003

Ende

Anfang

93

andum Sarracenos, quia de primo non fuissent contenti. Insuper ordinaverunt isti apostatae, quod nullum officium reipublicae notable committitur, nisi alicui Mamaluco, unde praefecti, advocati et principes, vel duces exercituum et comitatuum rectores per totam terram Soldani sunt omnes Mamaluci. Vnde haec dominatio, libertas et spes ad altiora veniendi multos Christianos abducit, sed et emolummentum et quotidianum stipendum, otium et carnalitas et uxorum pluralitas plures emigrare a fide facit. Quam statim enim quis fidem abnegat, provisionem habet et stipendum, et dominus est caeterorum. Vnde creduntur Caii esse ultra XXX millia Mamalucos, servos Soldani, quorum omnium ipse Soldanus haeres est, nec filius Mamaluci succedere in bonis paternis permittitur, nec pro Mamaluco tenetur nisi Christianus fuerit et ne-gaverit. Ideo ex industria natos suos baptizari baptismō Christi permittunt Mamaluci et grandiusculos in fide Christi instrui faciunt, et dum ad discretionis annos pervenient, inducuntur per prae-euntem ad publice abnegandam fidem et hoc facto succedere potest patri, et esse Mamalucus; unde juvenes hoc scientes cum magno desiderio optant citius advenire tempus suae abnegationis, ut possint equitare et arma ferre. Et ex hoc crescit in dies numerus Mamalucorum.

(107 a) Isti Mamaluci sunt in armis promptissimi, nam omni septimana tribus vicibus in planicie grandi sub castro Soldani in rebus bellicis se exercitant diversis modis et quasi torneamenta quotidiana ibi celebrant, illi gladiis dimicant, isti simul cursitant equestres et pedestres, isti arcubus sagittas jaciunt, jactantur lapisibus, levant onera, congressiones jocosas faciunt, cum exercitibus sibi invicem occurrentes sicut inimicis, et in his jocis non habent nec lorias, nec thoraces, nec galeas, sed tamen clipeos et scuta habent, quibus ictus contrafactos recipiunt; clipei autem eorum sunt fortissimi, longi et depicti cum signo Soldani, quod est calix aureus in campo blavio et cum scriptura hujusmodi: Legala piste ha la la. Quod tantum sonat: Non est alias victor, nisi solus deus.

De calice dicunt, quod quidam Christianus rex captus quondam a Soldano hoc modo redemit se, quod promisit Soldano, quod sibi suum Deum tradere vellet pro pignore, quo usque solvere posset debitum, tradiditque ei eucharistiae sacramentum in calice.

